

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3710

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Saint-Mathieu (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1269, août

**Lieu d'émission :** Vernon

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Louis [IX] roi de France, donne aux religieuses de l'Ordre dominicain un monastère qui s'appelle Saint-Mathieu avec ses dépendances, une rente annuelle de 40 livres tournois à percevoir du vicomte de l'eau de Rouen, une chapelle royale de Glapion, le droit d'usage libre dans la forêt de Rouvray, le droit de panage dans la forêt royale de Roumaret, une maison sise à Molles et la franchise de mouture aux moulins du roi à Bapaumes.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 759, p. 170-171.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum, ex causa permutationis inter nos et dillectum et fidelem nostrum O. Rothomagensem archiepiscopum habite, de concensu (sic) cappituli Rothomagensis, acquisierimus manerium dictum de Sancto Matheo situm jouxta Rothomagum ultra pontem, com prato, gardino et omnibus pertinentiis suis, sicut idem archiepiscopus ea antea tenebat et possidebat, in quo quidem loco prius Fratres Predicatorum habitare sollebant, nos desiderantes ut in eodem loco Domino perpetuo serviretur, ad honorem ipsius Domini nostri, bonorum omnium largitoris, congregationem quamdam religiosarum mulierum ibidem collocari fecimus, que habitum et ordinem Sancti Dominici suscepimus, et eidem ordini incorporate cure et custodie Fratrum Predicorum, auctoritate apostolica, sunt commisso. Quibus priorisse videlicet et sororibus, divini amoris intuitu, et ob remedium anime nostre et animarum, inclite recordationis, Ludovici regis, genitoris nostri, et regine Blanche, genitricis nostre, et aliorum antecessorum nostrorum, donamus et concedimus in puram et perpetuam elemosinam locum ipsum dictum de Sancto Matheo, cum edificiis, tam veteribus quam novis, a nobis postea constructis, necnon prato, gardino et pertinentiis omnibus ab eis im perpetuum quiete et pacifice possidendis, insuper quadringentas libras turonensium anni redditus percipiendas im perpetuum in vicecomitatu nostro aque Rothomagi, medietatem videlicet ad scaccarium Sancti Michaelis, et aliam medietatem ad scaccarium Pasche, quam pecunie summam volumus et concedimus eis reddi de primis denariis qui ad mensam scacarii de dicto vicecomitatu afferentur, per manum illius qui pecuniam vicecomitatus predicti recipiet vice nostra, et preter hoc capellam nostram de Glapion cum redditibus omnibus pertinentibus ad eandem, quam antea de consensu diocesani concesseramus eisdem. Donamus etiam et concedimus eisdem in foresta nostra Roverii juxta Rothomagum perpetuum usagium liberum et quietum, videlicet de bosco ad ardendum in domo sua predicta per liberacionem

forestarii et in eadem foresta usagium bosci ad edificandum, cum opus fuerit, in eadem domo et aliis domibus et granchiis suis, si quas fuerint habiture, percipiendum similiter per liberacionem forestarii nostri, qui pro tempore fuerit, sine difficultate quacumque ; concedentes eciam eisdem, ut in eadem foresta sexaginta porcos im perpetuum habeant ad pasnagium libere et quiete, ita quod si aliquando dictum pasnagium deficeret in dicta foresta, poterunt mittere dictos sexaginta porcos ad alias forestas nostras, uti esset pasnagium, similiter libere et quiete. Insuper eisdem sororibus concedimus, ut in perpetuum habeant triginta capita vaccarum et ducentas oves ad herbagium in foresta nostra Romare, libere et quiete, ita quod non vadant in talleiis seu in foresta, quoisque se poterit defendere. Idem (sic, l. : item) donamus eisdem im perpetuum et concedimus sexaginta acras terre ad excolendum in essartis predicte foreste nostre de Rommare juxta Montegni, ad constructionem unius granchie. Item donamus eisdem im perpetuum masuram cum gardino quam habebamus apud Molas in diocesi Lexoviensi, sicut se protendit in longum et latum, ad unam granchiam faciendam, in predictis sexaginta acris terre et in masura predicta cum gardino ejusdem mesure nobis et successoribus nostris regibus Francorum omnimodam justiciam retinentes. Item donamus et concedimus eisdem im perpetuum francham molturam in molendinis nostris de Bapalmis, sitis juxta Deivillam, ita quod possint sine contradictione bladum suum molere, postquam ille cuius bladum invenietur in tremuia integre fuerit expeditus. Preterea concedimus eisdem ut de rebus suis in usus proprios convertendis plenam libertatem habeant in propriis pedagiis, ita quod de ipsis tam per terram quam per aquam vehendis vel trahendis nullum prestare teneantur pedagium, thelonium seu exactionem quamlibet aut costumam. Si qua autem alia prius concesseramus eisdem, ea nobis et nostris heredibus retinemus, exceptis decimis quas deditus eisdem. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis karaktere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Vernonem anno dominice incarnationis M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> sexagesimo nono, mense augusto, regni nostri anno quadragesimo tercio, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; Signum Johannis buticularii ; Signum Alfonsi camerarii ; Signum Imberti constabularii. Data vacante cancellaria.